



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Plvrimvm Reverendo In Christo Patri Ac Domino, D. Brvnoni D'Affingveres,
Maioris Carthusiæ Priori digniſimo, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

PLVRIMVM

REVERENDO IN CHRIS-

STO PATRI AC DOMINO, D.

BRVNONI D'AFFINGVERES, MAIORIS

Carthusiæ Priori dignissimo, totiusque S. Ordinis Car-

thusiensis supremo moderatori vigilantissi-

mo prudentissimoque: cum de-

bita obedientia,

S. D. P.

Summus ac sapientissimus ille omnium
(vt ita loquar) entium Conditor, DEVS
OPTIM. MAX. Reuerende admodū
in eodem Pater, priusquam vllas forma-
ret creaturas, nullius rei indigus, totius
bonitatis ac plenariæ consummationis abundantia,
omnis excellentiæ supereminentiā, cunctorum de-
nique existentium modum perfectissimè in se com-
plectebatur.

Cum autem boni proprietates hæc sit, vt sese alijs be-
nignè impertiatur, Orbem hunc terrarum diuersas
rerum species continentem, in quibus ipse mundi fa-
bricæ opifex, Diuinæ Maiestatis suæ virtutes glorio-
sè manifestaret, creare voluit. Et primū quidem
Cælos fecit; in quibus duo luminaria magna, Solem
quippè in potestatem diei, Lunam verò & stellas in *Psal. 136.*
potestatem noctis admiranda sanè imposuit harmo-
nia. Angelicos quoque spiritus tribus Hierarchijs di-
uisos, ac nouem Ordinibus egregiè discretos produ-
xit; in quibus sanè ineffabilis ac immensæ bonitatis
suæ specimen exhibuit; dum eos oēs esse voluerit ad
ministratores Spiritus: in ministerium eorum qui *Hebr. x.*
hæreditarem capient salutis. Quatuor insuper crea-
uit elementa; ignem nimirum, aërem, pontum & ari-
dam; in quibus animantia quæque; Hominem quo-
que; solum quidem ad imaginem & similitudinem
suam formatum instituit. Porro ne plasma suum ali-

monijs destitutum inedia interiret, omnigenos aquis pisces, omnigena terris animalia, vberimos arboribus fructus, virentia agris olera & campis gramina producere mandauit. Eoque modo factum est, vt mundus hic ita ex amussim & præclare concinnatus sit: vt congruentius haud potuerit.

Proinde creaturas omnes, specialiter vtique rationales, ad Conditoris sui agnitionem, cultum, amorem & timorem summo iure obligari exploratissimum est; quinimò & ad eiusdem in humanum genus bonitatis infinitæ pro viribus, æmulationem. Quò

Jacob. 1. dona quippè spiritalia & corporalia, quæ gratis defursum à patre luminum accepere: gratis quoque ægnauiter alijs communicent; ne in tremendo illo examine, cum seruo nequam & inertis, ob talentum in terra absconsim, ob bonas horas malè collocatas tenebris adjudicentur sempiternis. Multam vtique malitiam docuit otiositas. Sed enim sicuti per rimam sentinae aqua latenter intrat, & excrefcit, donec nauis per nauatarum incuriam demergitur, ita ex otio atq; inertia cogitationes prauæ & concupiscentiæ malæ augentur, donec nauis mentis eis succumbens multiplici peccato periclitetur. Potrò quemadmodum oves in pascua dimissæ, minimè apud pastorem suum gloriantur vespere, multo se pastas gramine, sed lac ei affatim, vellusque præbent, ita nec quisquam prudens prædicarit quantum didicerit: verum quid didicerit afferet in medium.

Matth. 25.

Eccl. 33.

Simile.

Aliud.

Et ego quidem memoratis potissimum rationibus permotus, laborem istum, cui 4. hoc Tomo superamam (immortales Deo gratiæ) iam manum impono, suscepi; non autem gloriolæ captandæ studio, vel vt mihi nomen inde parem; cum nihil eo semper duxerim ingenuo & religioso homine indignius, nihil turpius: animique magis angusti & parui. Quid enim? cum indices penè ipsa edoceamur experientia, homines quod in præsentiarum laudauerint, post modicum vituperare, inuidere & carpere; etsi hoc minimè fecerint, nihil tamen illi penitus prodesse: quem

laudant. Nouimus ut in scena sibi personas imponant histriones; quā præclaras, quā honestas: quā ad extremam, quā ad exactissimā formæ diligentiam effectas. Attamen nemo prouidus eas aliquādo adamāuit. Quare? Quoniā huiusmodi ad spectus non est verus. Inanes etenim cum sint, imitantur solum decor: verum nullus ibi solidus decor; Soluta namque theatro, sublatiisque personis: vnusquisque quod est, id quoque videtur. Ita sanè & gloria inanis est; imitatur quidem gloriam: at vera gloria non est. Optimè igitur commonet Tullius, Si (inquiens) quis ad gloriam assequendam laborat, talem se efficiat, qualis vult haberi. Quod si ostentatione inani, & ficto sermone vel vultu, stabilem se gloriam assequi opiratur, vehementer errat. Vera enim gloria radices agit; ficta aut omnia ceu scilicet tanquam flosculi decidunt: neque simulatum quicquid potest esse diuturnum. Quocirca inter verba laudantium siue vituperantium ad interiora iugiter recurrendum est; & si ibidem non inuenitur bonum quod de nobis dicitur: summopere contristari debemus; & rursus, si inibi non reperitur malum quod de nobis spargunt homines: in Domino plurimum gloriari. Quid enim, si non omnes laudant, & conscientia liberos nos demonstret? Habemus vas electionis, gentiumque doctorum dicentem: Gloria nostra hæc est: testimonium conscientie nostræ. Sicut autem in conspectu hominum gratiosa est facies venusta: sic in oculis Dei speciosa est conscientia munda.

Qui verò externa bona materiam insolescendi sibi faciant, voluntque ob ea duntaxat coli, & plus alijs aestimari, perinde faciunt, ac si a sellis aureis phaleris ornatus, generoso equo præferri ob ea ornamenta vellet. Haud aduertentes miseri, non solum hæc cum brutis ac ratione carentibus animalibus sibi esse communia: verum etiam homines ipsos præ se ab illis superari. Sed .n. gloriatur quis de magna corporis mole? quanta est quæso, si cum elephantis mole comparatur? De fortitudine & audacia? à leone longè interuallo separatur. Fortissimus siquidem bestiarum; ad nullius pauet occur-

Ex hom. 17.
Chrysost. ad
Rom.

Teste Greg.
Pap. lib. 18.
moral. c. 3.

2. Cor. 1.
Chrysost. hom. 6
oper. imperf.

Teste Isido.
orat. de Hu-
mil. tom. 1.

Prov. 30.

sum. De cantu & vocis modulatione? opponuntur Cygnus, Luscinia, & plurimæ aliaæ vocales aues. De multiplici arte? quid in hac re apibus est præstantius? quarum opera quis pictor, quis geometra possit imitari? De acuto visu? nonne caprea & aquila acutiori præditæ? Turpe igitur (vt summam perstringam) homini in ijs gloriari: in quibus a volatilibus caeli & bestijs terræ longè superari conuincitur. Quamobrè mediū tenere præclare admodum docet D. Hieron. Epist. ad Eustoch. *Nec satis religiosa velis videri (aiens) nec plus humilis quàm necesse est; negligentiam fugiendo queras; plures enim in hoc ipso cupiunt placere: quod placere contemunt. Et mirum in modum laus dum vitatur: appetitur.*

Ea propter quid in recognitione, expurgatione, ac locupletatione Quarti huius Tomi ac præcedentium præticum sit: candidi Lectoris iudicio æstimandum relinquo; vt qui opellæ nostræ buccinatores esse nolimus.

Ceterum cum certò prospicerem huic volumini ex celeberrimi nominis vestri inscriptione multum utique decoris & ornamenti accessurum: id ipsum R. P. V. nuncupare omninò visum fuit; quò & tanti Patris suffultum patrocinio, liberius in publicū prodeat: atque potenti eius virtute à Sycophantarum calumnijs obreftationibusque egregie vindicetur. Quod autem ad hunc vsque diem huiusmodi mei officij exhibitio dilata sit, id utique haud negligenti inconsideratione, verum prouida procrastinatione æstum: vt opportuniore quippè factam tempore, eam gratiorem susciperes. Sermo siquidem opportunus (vt sacris edocemur Prouerbis) est optimus: & vt mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Sed enim expectaui vt exoptato occurrerem in via hac, primò quidem diuinissimis illis Nobilissimæ Fræcorum gentis ac sacratissimis Apostolis, Diouysio martyre ac Rhemigio Antistite; eorumque successoribus sanctissimis ac præstantissimis Galli-

Prouerb. 15.
23.

P R A E F A T I O.

Gallicanae Ecclesiae Praesulibus, Marcellino, inquam, Nicasio, Gatiano, Martino, Eucherio, aliisque plurimis hoc volumine contentis; quorum indefesso studio (vt ex eorum rebus praclare gestis videre est) illustrissimum illud Francicum siue Gallicanum Regnum sacrosanctis Christianae fidei mysterijs plenarie imbutum & excultum est. Deinde S. Ordinis nostri fulgidissimo sydere B. Hugone Lincolnensi postea Pontifice. Demum vero & potissimum, ipso Almae Domus Vestrae, atque adeo Instituti nostri S. Initiatore ac fundatore D. BRVNONE: cuius vti & nomen, ita & officium tenes. Ex quo sane, tanquam primaria radice, tot meritorum vtique ac virtutum insignes, eiusdem sublimis propositi spirituales Oliuae, succedentibus temporibus, per totum penes Orbem Christianum prodire; Cuius Coelestis disciplinae Domicilijs adeo etiamnum is nobilitatur, exornatur, decoratur, vt haud immerito de iisdem occinat quisque illud propheticum; *Quam pulchra tabernacula tua Iacob*

Num. 24.

& tentoria tua Israel: vt valles nemorosa; vt horti iuxta fluuios irrigui; vt tabernacula quae fixit Dominus: quasi cedri prope aquas. Accedit & numeri haud incongruens conuenientia.

Sicuti namque Tomus hic in ordine existit Quartus, ita & Quadriennium iam agitur, quo aeternae sapientiae, quae attingit a fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauius, placuit R. V. P. ad sublimem illam totius nimirum S. Ordinis nostri Praesecturae Generalis dignitatem euehere. Ex quo & te post IESVM CHRISTVM Pastorum omnium supremum Principem, post toties memorati S. Caetus nostri Patriarcham B. BRVNONEM, post Christi in terris Vicarium, Apostolicae sedis Pontificem Maximum, te, inquam, in ordine Quartum Generalem Pastorem nostrum confitemur, amplectimur, congratulabundique veneramur. Et quidem haud immerito; quippe qui id cures potissimum, vt cultui Diuino, Religionique nostrae suus seruetur honos, sua integri-

Sap 8.

Psal. 25.

tegritas, sua gloria atque dignitas; ac proinde cū Propheta Regio, decorem domus Dei, locumque habitationis gloriae eius vnicè diligere certò comprobentur.

Sic olim utique Moyses; sic Iosue; sic Dauid; sic Salomon; ita deniq; oēs in vniuersum Israelitici populi moderatores id in votis gesserunt, idq; factis praeclarissimis re ipsa ostenderunt; vt demandatam Dei legem, sanctas illas ceremonias, perq; maiores & receptas & obseruatas, haudque illaudatas consuetudines ita seruarent, ita & augerent: vt ad se erant propagatae, vt à patribus religiosè ac sanctè institutae. Quorum exemplum, haud pauci ethnicorum quanquam longo interuallo imitati sunt, apud Romanos, Graecos, aliasq; à Deo alienas nationes. Quae quamuis idololatriae deditissima, id tamen iugiter procui: à sit, vt eorum dijs ac simulacrorum portentis, suos & haberetur honos & gloria immunis. Hinc templa, hinc sacrificia, hinc varius cultus, varia ministrorum munia designata. Alij siquidem Ioui, alij Aesculapio, alij Dianae, alij Deae Vestae, denique alijs alij & dicati erant: & sacrificia dependerunt. Verumenimverò cū obscuratum esset insipiens cor eorum, euauerunt in cogitationibus suis, nutantes gloriam incorruptibilis Dei, in similitudine corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium; colentes & seruientes creaturae potius quam creatori. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in passiones ignominiae, in reprobum sensum: vt faciant ea quae non conueniunt &c.

Rom. 1.

Plèbs porrò Iudaica id omnimodis faetabat, vt nihil non magnificè ageretur cum templi ministris, cultu ceremonijsq;. A deoque sollicitè curatum est, vt quam splendide omnia agerentur, vt si quando vel latum digitum ab ijs dimouerent, quae sanctè, quae iuste instituta erant, mox vel ipsi inter se, vel numen illud caeleste in temeratores animaduertebat. Et ad eū quidem modum aetas illa tum florebat: tumque ad-

mini.

ministrabatur. Quam & succedente tempore secuti sunt Christianæ Religionis professores cum Ecclesiastici, tum profanij tanto animi feruore, vt se suaq; omnia pro Orthodoxæ fidei defensione, pro maiorum placitis, decretis, ac traditionibus haud dubitariint exponere; rectè quidem ac iustissimè censentes, se benè feliciterque præesse haud posse: nisi prius supremi Monarchæ, hoc est CHRISTI regnum, Ecclesiam, fidem, Diuinumque cultum serua te ta seruaarent atque defenderent.

Quam verò strenuè eosdem imitati sint S. Instituti nostri Patres primarij, in promptu videre est; in eo quidem potissimum, quod inter tot præstantissimos Cænobiticæ vitæ Ordines, vnicus noster (quod aliorum bona venia dictum velim) sit reperiri, qui hætenus præstitit infactus, præstitit immobilis, constansque: neque à pristino suo rigore notabiliter diuerterit. Quorum vestigijs cum non modo insistere, sed & inuicta animi magnitudine præcellere omnimodis cum contendas, haud sanè mirum, si indies omnib⁹ charior, venerabilior ac spectatior euadas. Vt etenim aliquis ingressus vineam, vitesq; contèplatus pāpinis conantes, fructu grauidas, macerij ac sepris vndiq; munitas, minimè desiderat cuiusquam qui demōstret vinitoris industriam, ac dexteritatē, & Agricola virtutē. Itidē & Almā Domum vestrā, Primariā (inquā) Carthusiā, si quis ingressus conspiciat vites vestras spiritales, earumq; fructū contèpletur, nihil opus habuerit, vt ex cuiusquā oratione discat: qualis sit eiusdē Præpositus. Fidelis autem Dominus in verbis suis; qui querentibus primū Regnū Dei & iustitiam eius: reliqua abundè adijcienda spondit. *Math. 6.* Possem equidem cōplura alia singulatim huc cōgerere, ex multiplicibus præclarissimis donis R. P. V. cælie impertitis, quæ laudem ac nomen vestrum haud parū illustrarent; nisi id maligni & inuidi quiq; assentationi tribuerent ascriberentque. Solent namque ij, cuncta quæ vident, deprauato oculo conspicerere; vndè

PRÆFATIO.

Teste Paulo
Orosio de Or-
meſta lib. 4.

occæcati tenebris nequitia in id cadunt, vt minus v-
dendo plus videant; cum tamen id, quod est ita, vt est,
videre non poſſint. Ad eò ſiquidem poſſeſſam men-
tem obliquat inuidia: vt quod rectum eſt natura haud
cernere queat. Malui proinde temperare ſermonem,
ac tempori potius ſeruire: quàm mihi adulationis
notam inurere.

Ceterum DEVS OPT. MAX. quod in vobis,
veſtroque prouido regimine inſigniter vtique capit,
ad ſempiternam ſuæ Maieſtatis gloriam, ad certum
Eccleſiæ commodum, ad lætum S. Ordinis noſtri re-
rum ſucceſſum, magis ac magis ſecundare dignetur.
Ex Carthusia veſtra Agrippinenſi, Anno à CHR I-
STI Incarnatione 1603. pridie Exaltationis S. Cru-
cis.

Reuerend. V. P.

humillimus ac obſequen-
tiſſimus filius

Fr. Cornelius Graſius.

Innumeror Bibliotheca
Fratrum Capucinatorum
Paderborne. ~

INDEX